IOHANNES MELCHIOR
Doctor ac Professor Theologus, Consiliarius
Ecclesiasticus, & Antistes Nassovicus Dil.
lenburgicus Celeberrimus.

IOHANNES MELCHIOR
Doctor ac Professor Theologus, Consiliarius
Ecclesiasticus, & Antistes Nassovicus Dil.
lenburgicus Celeberrimus.

JOHANNIS MELCHIORIS,
Doct. ac Prof. Theol. Consiliarii Eccles. & Antistitis Nassov. Dillenb. Celeberrimi,

OPERA OMNIA THEOLOGICA,

EXEGETICA, DIDACTICA,
POLEMICA,
DUOBUS TOMIS ABSOLUTA,

Quibus

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI LIBRI CONFERUNTUR, EXPLICANTUR, ILLUSTRANTUR:

Veritas Religionis Christianæ Argumentis validissimis asseritur, defenditur:

Triplici Indice locupletata,

HERBORNÆ NASSOVIORUM,
Typis & Sumptibus Johan. Nicolai Andreæ,
ANNO M. DC. XCIII

Sum. V. Arnoldi.

AD

BIBLIOTHECAM

PRINCIPALEM

ARAVSIO-NASSAVIENSEM

DILLENBVRGICAM.

Illustrissimo atq; Generosissimo

DOMINO

DNO. EBERHARDO

BARONI

de DANCKELMANN,

DOMINO de BRESQVES, &c. SERENISSIMI atque POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI MINISTRO STATUS INTIMO, RERUM BELLICARUM & FEUDALIUM DIRECTORI PRÆCLARISSIME MERITO, &c. &c.

ILLUSTRISSIME ET GENEROSISSIME DOMINE.

QUi tempus figurâ serpentis pinxere Hieroglyphici, caudam per retorti corporis circulum ore tenentis, id crediderim notare voluisse, ita illud perpetuò in se revolvi, ut & deglutiat se ipsum, & ex se ipso quasi devo-

)(rato

rato nova reducat identidem initia, ſui ipſiq; quaſi α & ω, ortus & occaſus; Ejus enim ſi certas figamus periodos, hinc quidem ita periiſſe præterita videbimus, ut minus redditura ſint eadem, quàm ſi fuiſſent nunquam, inde verò ab eodem veluti capite fluere nova in ſuos rurſum circuitus exitura; Intereſt autem, ut illius ſerpentis poſteriora apprehendamus ad Moſis Thaumaturgi exemplum, ut in baculum abeat ituros ad poſteritatem ſuffulciturum, quod fit per elapſi temporis repetitam memoriam; Hæc uti non poteſt non multiplicem præſtare uſum in dirigendis prudenter pro re natâ caſibus, ita vel ex hoc capite Scriptores, ab omni ævo fata ſui temporis conſignare, impuliſſe credendum eſt æternitatis ſimul, ad quam ſe conditos mortales ſentiunt, haud obſcuro argumento; Quantacunque enim illi in ſe prorſus laudabili inſtituto adſperſa ple-

rumque sit vanitatis labes, hâc tamen non obstante fructus inde ad posteros rediens amplus, quantum satis est, istud commendare videtur, simile quid licet observare circa veritatem, atque hujus mox succumbentis, mox emergentis periodos, non enim illa omnem lucem suam simul & semel spargere visa est, quin potius Ecclesiæ, eam instar facis reliquo Mundo præferentis, secuta plerumque est conditionem, Deo Sapientissimo temporum Oeconomo ita rem dirigente, ut duo illi Testes in summâ simul Ecclesiæ corruptione, mox saccis involuti cadaveris instar, cui lumen ademtum obscurarentur, mox vel ipsis hostibus eorundem sepulturam molientibus improvisâ catastrophe, spiritu vitæ donati, in cœlum evecti, atq; posthac triumphaturi conspicerentur; Hic igitur merito Ecclesia observat, ère suâ esse, notare has succedaneas temporum

vices, atq; diligenter dispicere, quid superaverit, quidve superandum restet, promissione imprimis ultimo huic tempori datâ; Quis enim nescit, quantam illi אחרית הימים apud Prophetas ita decantato, iidem assignent rerum omnium futurâm διάθωσιν? Hujusque in illius decursu non postremam, sed omninò primam fore partem ipsam veritatis cognitionem uberrimam, undiquáque futuram conspicuam, disertè innuunt Esaias, & Daniel Prophetæ, quorum ille loco non uno, *impletum iri terram cognitione Domini, ut maria aquis*, hic insuper in obscuriora Prophetarum ænigmata, eam quàm felicissimè penetraturam præmonuit, uterque ultima designans tempora; Tanto igitur magis eam comparationem instituere sibi commendatum esse meritò putant pii, quanto certiores sunt, se jam ea attigisse tempora, cum quorum instante συντελέια con-

conjunctam fore ἀποκατάσταση omnium, quæ Dominus per os ſanctorum Prophetarum prædixerat, perſpectiſſimum habent; Neque deficit, ut in cæteris, ita & hâc in parte implementum, cuivis vel parùm attendenti ſatis obvium; Quid enim? anne abſque præſentiſſimo eoque exuberantiſſimo ſpiritûs promiſſionis influxu facta credemus, quæ hiſce noſtris diebus videre & audire licuit? Interiores naturæ receſſus cum applauſu recluſos, rectæ rationis recta dictamina in apricum producta explosâ penitus otiosâ illâ Scholaſticorum Philomoriâ potius, quàm Philoſophiâ, Antiquitates cum Sacras tum Profanas è veterum monumentis eruderatas, Myſteria regni Dei enarrata, Chronologiam denique ſacram, ubi illa apparente hinc inde hiatu ſciolæ carni ar-

gutandi materiam præbebat, si pauca excipias restitutam; Et quis desperet de reliquis? quæ uti minoris momenti, atque jam attentata, ita brevi forte in plenam lucem protrahenda, unà cum uberiore veritatis partium ad minores, medios, maxumos derivatione vaticiniis omni ex parte respondens dabunt complementum, in consummatam tandem ipsius Dei in cœlis visionem desiturum; Hinc mirari adeo nemo jure potest, si eos, quib? id sacri muneris concreditum est, variè in variis veritatis partibus exornandis & illustrandis hodiedum occupatos videat; Fuere equidem viri maximo suo merito per Ecclesiam celebratissimi, qui cum reliqui partum ipsi totum Sacræ Doctrinæ immensum Pelagus pererrasse videri poterant, suâ proinde laude nequaquâ fraudandi, sed reliquere tamen & hi aliis spicilegiis laborem haud pœnitendum, nam ut taceam veritatis inexhaustum thesaurum, ex quo scriba edoctus in regno Dei petere identidem potest cum veteribus nova, qua ad instar Promi Condi seponit εἰς τὸ αὔριον eroganda prudenter in usus Ecclesia; Notissimum utique est ex S. Scripturæ prædictione non unâ, præterquam judiciis divinis, præcipuè verbo Dei tanquam ῥομφαία δισόμῳ exeunte ex ore Christi, configendum esse ἄνομον illum; Hujus autem parasitos, quando hoc præcipuè tempore in ipso Mysterio τῆς ἀνομίας per radiantem Evangelii lucem ad exteriores tenebras relegato, tegendo atque incrustando omnem sumere operam videmus, necessarium est, has tenebriorum offucias denudare, & admotâ veritatis luce erro-

bus

bus peſtilentiſſimis larvam detrahere; Atque horum, quæ dixi, præſens liber quædam promittit ſpecimina; quem quod *Illuſtriſſimo Tuo nomini* inſcribere ſuſtineam, non una mihi ratio conſtat. Singularis certè Tua illa in Conſiliis dexteritas prudentiam fide attemperatam ſponte ſequens, in admirationem nec immerito, rapit' omnes, ſed & bene Tibi velle, quin favorem Tuum exambire forti ſatis ſtimulo adigit; Eo enim cum ſucceſſu Maximi Principis magna urges negotia, qui Te ſupra laudem omnem & invidiam jam dudum collocavit, quàm tenaciſſimè, Teſtis ſit is felicitatis apex, ad quem ſub Moderamine Tuo provectam ſe videt Res Publica hisce imprimis difficillimis temporibus, vicinis deſiderabilis, hoſtibus terribilis; Atque in illius fruitionem, quoniam mea quoque patria aſcita eſt, non eſt, quod hic lætitiam, quam inde capio, diſſimulem, patriæ præſidium Tuum auſpicatiſſimum gratuler, idemque precer quam diuturniſſimum. Sed aliud inſuper eſt, GENEROSISSIME DOMINE, quod bonis præcipue Te totum venerabilem exhibet: Nobiliſſima illis eſt, Potentiſſimi Electoris in artes liberales & earundem cultores induſtrios vel inter ipſos armorum vexatiſſimos ſtrepitus, pervigil cura, adeo ut ob eandem ab ipſis Muſis Literarum Parens unicus non absque auguſtiſſimâ gloriâ ſalutetur; Illam acuere magis atque accendere pro affectu in easdem proniſſimo, cum præcipuè gloriæ Tibi ducas, hinc adeo facto quaſi agmine confluere ad Te velut ad vexillum plurima literarum monumenta efficaciſſi-

mum

mum Tuum ſolicitantia patrocinium videmus, nec unquam fruſtrata votis; quod ipſum ſperare jubet, ab omni temeritatis crimine me abſolutum iri, quando idem ego ſubmiſsâ obſervantiâ anxiè expetere auſus ſui, quin obtenturum tantò certiore ſpondet fiduciâ, quantò documentis illuſtribus notius eſt, omnem imprimis à Te operam zelo pro religione pientiſſimo, eò impendi, ut Eccleſia vera, ad cujus ædificationem hæ, quas humillimè offero, lucubrationes vergunt, florentiſſima capiant incrementa; Admitte igitur, DOMINE GENEROSISSIME, ut fœtum hunc, parente atque omni reliquo, niſi veritatis, præſidio orbum cum gratioſæ acceptationis fiduciâ ad pedes Tuos ſubmiſsè deponam: Ita ſimul ſubtanti Nominis umbrâ tutus à Theonino dente, quem quorundam Ἐπιχαιρεκακία eidem non ſemel infigere anniſa eſt, perennitatis viam fauſtis teret auſpiciis, & ad ſeram poſteritatem tanti patrocinii paſſibus certiſſime perveniet. Deum veneror, ut Te, GENEROSISSIME DOMINE, Reipublicæ & Eccleſiæ columen maximè conſpicuum in utriusque majora incrementa cum Illuſtriſſimi nominis Tui immortali gloriâ, ſoſpitet quàm diutiſſimè. Scribebam, atque vovebam Duiſburgi-Clivorum. Anno æræ Dionyſianæ MDCXCIII. Calendis Aprilis.

ILLUSTRISSIMI ET GENEROSISSIMI
NOMINIS TVI

Devotiſſimus Cliens
JOHANNES GODOFREDUS BACHMAN,
Clivo-Politanus.

GODE-

GODEFRIDI JÜNGSTII,

Eccleſiæ Hanovienſis Reform. German. Paſtor. & Conſiſtorialis.

Præfatio ad Lectorem.

IN illa incidimus tempora, quæ jure merito unumquemque attentum rerum ruſpatorem ultimamque temporum Emendationem promiſſam exſpectantem poſſunt rapere in ſui admirationem, eſt equidem monitum Sapientiſſimo Regum haud indignum, ita Eccleſ. 7: 11. concionante: ne dixeris, quid eſt, quod dies anteriores ſunt boni præ his, quia non ex ſapientia quævis ſuper hoc: *facile nobis applicandum; nonne enim dies in dies ruunt in pejus; ſive, ratione internæ conſtitutionis ruptura Hieroſolymorum, poſthabitis nempe fidelium vigilum indeſinentibus, convincentibus licet, clamoribus, ſpretisque efficacisſimis gratiæ Mediis; perſentinam ſqualoremque omnium malorum, intuearis; ſive externum ſtatum Eccleſiæ Rerumque publicarum, obvorantem Bellonæ flammam plus ſatis deplorandum, æ-*

qua lance ponderes ; cujus mali omnis fons intoxicatus unicus est odium & contemptus veritatis, quæ est secundum pietatem, *ubi enim ita* introspicitur in perfectam legem libertatis, in eaque permanetur, ut verbi Auditores etiam sint factores operis, adeoque beati in operibus suis ? *Jac. 1. v. 25. aut enim eruditio ponitur tantum in rerum sciendarum notitia, satis sæpe accurata, verum nil præter nudam speculationem veritatum, neglectâ vitæ juxta illarum normam expressione, in recessu habente ; aut contrariâ viâ peccatur, dum multi negligentes inconsideratè cognitionem à pietatis nervo sejungunt, qui, nullâ prorsus ratione moti vociferantur:* satis esse scientiæ, modo sat sit pietatis ; *quasi vero Mysteria salutis ad* vitam æternam cognoscenda (*Johan. 17. v. 3.*) *non sint* Mysteria pietatis, *1. Tim. 3. v. 16.* *Aut etiam* σωφρόνως, δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζᾶν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, *non dependeat à* παιδείᾳ (institutione) *gratiæ salutaris. Tit. 2. v. 11. 12. quemadmodum enim Pontifex V. T. in pectore suo gerebat* Urim *(luces)* & Thummim *(perfectiones) ita fideles N. T. qui sunt* regale sacerdotium, præstando *officia sua*, sicut cognoscunt, beati *prædicantur. Joh. 13. 17. Duæ mentis nostræ facultates, intellectus puta & voluntas, sese habent ad modum duarum Templi V. Test. partium interiorum, Sancti videlicet & Sancti Sanctorum, in illo enim erat lych-*

lychnuchus aureus inter alia, ita lux gratiæ debet oriri in noſtro intellectu ad veritatem percipiendam; in hoc autem recondebantur præter cætera Tabulæ legis, ita voluntati fidelium lex Jehovæ ſemper ob oculos verſatur, imo cordi inſcripta eſt, Jer. 31. 34. ut ſanctificentur in veritate *Joh. 17. v. 17. ad illam præ auro æſtimandam atque amandam, Oeconomia Dei ſub N. T. majora fidelibus tribuit privilegia quam ſub V. eum in finem, ut* omnes inſpicerent *gloriam Domini retectâ facie (non uti tempore introductionis ſervitutis veteris in Monte* Moſes ſolus*) tanquam in ſpeculo,* & transformentur in eandem imaginem *ex gloria in gloriam 2. Cor. 3. 16.*

Et ſane, notitia & praxis pietatis ita ſibi mutuo innexa ſunt in fideli anima, ut ſublato uno aut altero veri Chriſtianiſmi fundamentum concuti atque proſterni neceſſum ſit; Multa noſſe, nil autem ſecundum tenorem convictionis efficere, quid eſt quaſo aliud, quam vim veritatis ipſo actu negare, ſibique duplicationis verberum culpam accerſere? Talis comparari poteſt ligno putri atque arido, quod quidem nocturno tempore lucet, ſed tamen omni calore deſtituitur. Eodem modo res ſeſe habet circa ipſum exercitium, quod ad ipſum opus deduci non poteſt, niſi ſecundum modum methodumque ſanctæ cognitionis, fieri enim debet τῆ ἀληθείας ὁσιότης, Eph. 4. v. 24. quomodo autem credent, de quo non audierint? merito interro-

gat Paulus Rom.10. v.14. Hinc ore uno atque corde diffitemur, quotquot Babelis jugum excussimus, actum cætera non malum undiquaque bonum esse, qui exercitus fuerit cæco brutali tantum impetu ; Talis enim cultus nihilo sanctior est illo Samaritanorum, qui nescíebant, quid adorarent *Joh.4.v.22. ut & Athenienſium, qui publico Altari inscripto symbolo idem de se testabantur, se sacrificasse θεῷ ἀγνώστῳ. Actor.17.v.23. Hinc fideles N.Test. in hisce terris nobis depinguntur emblemate* quatuor animalium *(diversò à 24. Senioribus, qui connotant statum fidelium in Eccleſia Triumphante & glorioſa) quæ ornata sunt* oculis ante & retro. *Apoc. 4. v. 6. Circa quorum consideratione notetur oportet, quod nomine ζώων (viventium) non θηρίων (bestiarum) uti illa duo cap.13. quæ Regnum Antichristianum, ex duplicis generis hominum colluvie constans, sub imagine tanquam capite externo, cohærentium quidem, seque Eccleſiam nominantium, sed tamen haud Spiritu Dei ad vitam sanctam, verum potius Spiritu hujus mundi ad satiandas cupiditates carnales actorum, qui aliâs inter ipsos Laici & Clerici vocantur, indigitant) describuntur.*

Quæ res accuratius lustrata dabit nobis clavem cognitionis ad reseranda Mysteria abstrusissima, & monstranda fidelium in N. Test. bona præcellentia, quatenus ipsis fruentem simul ad officia decentia devinciunt, tota enim

enim Christiana religio consistit, in veritatis agnitâ sanctâ expressione atque amore. Fieri enim nequit, quin veritas manifestata se commendet apud omnem conscientiam coram Deo, prout in ipsa cœli gloria tam beatorum animi perfectâ scientiâ, quam pietate locupletabuntur. Veritas cor feriens instar radii non tantum tenebras dispellit, sed & illud incalescere facit. Luc. 24. v. 32. Apostolis plerunque fundamentum est suarum hortationum optimum ad ambulandum *convenienter* filiis lucis, *quod ipsi* lux sint *in N. Test. Eph. 5. v. 8. quæ vis veritatis cordis penetralia collustrantis non sinit suos hyperaspistas lumen collocare sub Modio. Semper enim malæ causæ præsidium collocatum fuit in iis, qui silentium urserunt in rebus ad religionem pertinentibus; qui lucem fugiunt non ad nobile Aquilarum sed infaustum upuparum genus censeri merentur,* credenti *utique* loqui *licet Ps.* 116. *v.* 10. *prudentiores Gentilium Philosophorum id odorati & aperte confessi sunt. Sic* Plato *ad Athenienses in Apologia pro* Socrate; Si Mihi diceretis, Socrates, nunc quidem Anyto minime credemus, sed te liberum immunemque dimittimus, hâc tamen lege, ut nunquam in posterum philosopheris, quod si hoc facere deprehendaris, morte mulctaberis. Si igitur (uti dixi) his pactis conditionibus me dimitteretis, vobis dicerem, me quidem gratiam vobis habere, de

hac

hac vestra in Me voluntate: Deo tamen malle me parere, quam vobis, & quamdiu spirabo & dabitur facultas, me haud quaquam desiturum Philosophari, singulosque hortari &c. *quæ erant planè eadem Petri & Johannis Apostolorum coram phariſaico Synedrio arma felicißima Act. 4. v. 17. 19. Certè quando Mysterium iniquitatis in cimmeriis Antichriſtianiſmi tenebris ad ἀκμὴν promovendum erat, nullum, experientia teſte, commodius inveniri poterat Medium, quàm, lectione & tractatione ſeria S. Literarum prohibita, veritatis teſtes, undique erumpentes, armis Paſtoris ſtulti dirißimisque perſecutionibus, ad ἐχθυδίαν cogere quod Apocalypſis* occiſionem, & tantum non ſepelitionem duorum Teſtium *notanter vocat Cap* 11. *v. 7. 8.*

Utinam Deo immortales gratias referremus pro luce in Eccleſia ſua poſt eductionem ex Babele accenſa & quaſi fata Pſalm. 97. v. 11. *quid enim? nonne immane quantum hoc, ad finem decurrente, ſeculo, detecta ſunt veritates naturales per accuratam philoſophandi Methodum? quid præſtitum inſuper ſit, ope Linguarum Orientalium in omnium Medium expoſitarum, in ſtudiis Philologico-Criticis, novit & quotidie experitur Orbis literatus. Et quo omnia collimant, quanta ſumſit ipſum Theologiæ ſtudium à non multis retro luſtris incrementa? via proficiendi brevis & perſpicua reddita, qua Candi-*

da-

datis discenda præscribuntur, tandem, cum ad suggestum ventum est, non rursus dediscenda bonam partem sunt, verum doceri cum maxima ædificatione apta nata sunt omnia.

In duplici beneficio divino id palmarie adverti potest, primum est, quod Deus Benedictus excitavit & adhuc quotidie excitat Viros in Scripturis potentes, qui pio zelo acti omnem sua informationis operam eo collocant, ut verbis & scriptis, animum certe moventibus, nil antiquius habeant, quam ut nucleum atque Medullam doctrinæ veritatis Theologica tractent, sibique concreditos forment secundum pietatem, qua etiam optima via est Adversariorum strophas nullo negotio detegendi, fidemq; semel sanctis traditam defendendi, ea enim religio, nil prorsus refragante mente sibi recte conscia, optima esse debet, qua hominem peccatorem gloria Dei reddit studiosissimum. Quemadmodum Ioh. 7. v. 17. Christus idem divinitatis doctrinæ suæ signum irrefragabile ponit.

Alterum beneficium, quo Deus Ecclesiam suam in diebus nostris mactavit, est, quod, pro sua gratiosa promissione scrutationem verbi prophetici, ad inveniendam in illo magnam sapientiam, Dan. 12. Multis reddidit dulcem atque amœnam, qui quasi constituti in specula facilius respiciunt in tempora anteriora, prospiciuntque in futura, quàm si humi tantum reperent; gravida sunt Prophetia, imo quasi in parturientis anxietate, dat Benignissimus

Deus, ut decurtentur dolores Mundo imminentes, & Christus per Regni sui consummationem in Multorum cordibus parturiatur, suique formam pulcherrimam & accuratissimam ubique videat, faxit ut propediem consilium ejus fiat manifestum, quo pii videant, gaudeantq;.

Vehementer interim optandum esset, ut veritas sacrosancta Majori reverentia exciperetur, ut eo libentius in cordibus illorum maneret, quorum manibus satis inhoneste tractatur: quid autem vulgarig proh dolor! quam profundissima Mysteria in angustiam captus humani redigi? nullo unquam tempore Diabolg tanto impetu Scripturam dubiam reddere tentavit, ac hoc ipso, non ignorantia tenebris sopito, ubi nullo negotio corda infidelium tanquam officinam suam fascinare potest, quam diffusa & meditata eruditione potius armato; Abutuntur enim hodierni Irrisores *(quos S. Petrus prænotavit 2. Ep. c. 3.) in lucis exuberantia vel temerariis Philosophematis, vel κεῖσε nimis audaci, inter quos multis funestam prætulit facem Maleferiatus Spinoza: quasi vero sacer codex haud alio, ac alius quisq; profanus, animo legendus sit, aut non* tremendum esset coram verbo Dei *Ies. 66. v. 2. aut denique non esset verbum Dei, nisi illi ex incertissimis sæpe Gentilium scriptis suppetia emendicentur, idq; magis ad eruditionem vanam phalerandam, quam veritatem conscientiis demonstrandam, ubi sæpe inter nimia putamina ipse nucleus, de Dei, in peccatoris salute, gloria, de comparatione*

an-

antiquiſſimarum prædictionum cum eventibus in mundo maximè notabilibus (more inſtitutionis in Eccleſia primitiva tantum recepto, ſcil. Catechetico, *nunquam ſatis commendato, ſed utinam ubivis decenter in publicis fidelium congregationibus florente) amittitur.*

Pariter veritati derogatur per rixoſas charitate deſtitutas diſputationes, inter ipſos quoq; fratres, defenſio veritatis eſt omnium quidem altercantium prætextus, cum revera potius ſit animus ſua quaq; ſtatuminandi obſtinatus, vel ambitioſa gloriola, hinc plerumq; quid pro quo arripitur, verbum autem Dei fruſtulatur, detorquetur, diſtrahitur, atque ſapientia cœleſtis nativum ſuum locum repetere cogitur, Iob. 28. v. 12-23. quam altas hæc res inter Proteſtantes *egerit radices, dies docuit; quomodo noſtro tempore adhuc in propria viſcera ſæviatur, ſilentii peplo involvere, quam matris noſtræ pudenda denudare videri malumus; verbo, ſunt plurimi, qui eunt, qua itur, non qua eundum, deeſt* timor Domini, ſapientiæ initium.

Duplex autem inde malum vehementer deplorandum enatum eſt, veritati valde contrarium. Politici *enim, ita dicti, hinc anſam arripiunt unam eaq; atq; alteram partem floccipendendi, imo arbitrandi materias de religione controverſas inter partes diſſidentes, eò tantum facere, ut Eccleſiaſtici ordinis homines habeant, quod temporis fallendi cauſâ agam; homini autem forti, cuilibet parti addictus ſit, perinde fore, modo Reipublicæ nihil inde decedat. Alii,*

rem penitius inſpicientes, atq; cum infinitis fere diſputationibus vitam minime Chriſtianam inter cujusvis generis addictos geri, ſummo ſtudio notantes, arbitrari cœperunt, non amplius veritatis notitiam, ſed tantum praxin commendandam atq; promovendam eſſe; à quibus veritas debito honore orbatur, nemo enim ambulabit in ſanctitate, niſi prius didicerit, quid veritas ſit in Jeſu, *Eph.* 4:21. *& nemo ſanctificari, liber, aut Chriſti particeps fieri, Deumq; colere poteſt, niſi* in veritate. *Itaque ſponte ſequitur, quod ab altera parte ſit regula, ſecundum quam inſtituenda omnia, quodq; ipſi abjectiſſimi fidelium* veritatem *teneantur* ornare *Tit.* 2. *v.* 10. *quid enim porci roſtro monile aureum?*

Quam Veritatis, quæ ſecundum pietatem *eſt, doctrinam, Auctor noſter, cujus nomen in benedictione manebit, Vir Admodum Reverendus atq; Celeberrimus D.* JOHANNES MELCHIORIS, *SS. Th. D. & Prof. in Academia Herbornenſi, Conſiliarius Eccleſiaſticus & Antiſtes Naſſovicus, magno & immortali Nominis ſui Merito, Multorumq; bonorum utilitati atq; emolumento inculcare atq; exornare in deliciis habebat ſummis, cathedram ſive ſpectes Eccleſiaſticam ſive Academicam; Teſtes hic habeo, præter conſcientiam ab omni partium ſtudio liberam, omnes, qui ipſius informationis aut converſationis uſuram habuêre, ſane abſq; invidia dixero, Spiritum Sanctũ ſua in ipſo cumulâſſe dona; ut enim jã de ingenii ipſius*

acu-

acumine, et in rebus agendis, ubicunq; volueris, dexteritate plane incomparabili eloquii perſpicuitati conjunctâ nihil dicã, ſive deſideres Theologiæ Profeſſorem, ſive Eccleſiæ Reformatæ Paſtorem orthodoxum, pium, prudentem, ſtrenuum, candidum, expeditum, Modeſtum, deſideratum, fuit ipſe inter primos hujus ſeculi nulli ſecundus. In purioris enim atq; defæcatioris Philoſophiæ fundamenta univerſam ſuæ profundæ eruditionis molem ſtruxerat, cui Linguæ Sanctæ ejusq; Matris filiarum, nec non Græcæ elegantiſſimæ culturam fructumq; plurimis in acceſſum ſapientiſſimo conſilio addiderat: quàm feliciter porro cum Adverſariis in arenam deſcenderit, atq; tum viva voce melliſluâ, tum ſcriptis examus ſitatis aureum divinæ veritatis hamum traxerit, in diffundenda maximâ Dei gloria, & inſtillandis juventuti ſibi concreditæ Myſteriis pietatis (utinam in Academia junctim cum Eccleſia ſeptennio diutius à cœli clementia conceſſus fuiſſet) loquatur Academia, loquantur illæ Eccleſiæ, quas Evangelii pedo felicisſimè paſcendo rexit ipſemet, quibusq; Auctoris noſtri Beatiſſimi Diſcipulis haud degeneribus, habentibus nempe Myſterium fidei in pura conſcientia, tanquam fidelibus Eloquiorum Dei diſpenſatoribus cum ædificatione haud vulgari, uti frui licet; quæ omnia, Lector Candide, ipſo actu in ejus ſcriptis, majori fructu atq; voluptate percipies; quæ tibi comparâſſe, eaq; manu nocturnâ diurnâq; verſâſſe, te pœnitebit nunquam. Exhibentur autem tibi duplici

hoc volumine, quotquot reperiri potuerunt, opera, idiomate latino, omnia, pleraq; quidem curis Auctoris, Fato præoccupati, secundis destituta, tibi tamen, Æquissime Lector, communicanda potius, quam ut illis te defraudaremus. Proxime, Deo propitio, sequentur opera ipsius Vernacula, non minus desideratissima, ad quæ in hisce aliquoties provocatum esse reperies. Convenientissima videbatur distributio in Ea, quæ immediate explicationem Scripturæ, & dein Ea, quæ alias Materias Theologicas, atque occasiones varias spectabant, prioribus Tomum primum, *posterioribus* secundum *constituentibus.*

Mei Muneris autem fuisse, Lector Benevole, hanc qualemcunque Præfatiunculam concinnare, non miraberis, modo certior factus sis, non tantum, Typographum id opella ex Me pro voto Auctoris Celeberrimi Amicorum, enixè flagitasse, verum etiam, Ipsum Auctorem fuisse quondam Præceptorem & Promotorem Meum Optimum, fidelissimum, inter cujus pedes, tanquam Gamalielis, sedere, imo ab ipso familiariter atque intime admitti consueveram, quod animo grato heic profiteri nec pudet, nec pœnitebit unquam. Vale, Lector Candide, Deumque Mecum indesinenter implora, ut plures, ad Regni Filii sui mox irrupturi bonum egregium, servos huic similes excitare, nec non diu Multumque Ecclesiæ suæ solatio incolumes conservare dignetur. Scribebam Hanoviæ 5. Id. Mart. Anno Æræ Dionys. CIↃ IↃC XCIII.

Oratio

Oratio Funebris

DE

VITA ET OBITU JOHANNIS MELCHIORIS,

CELEBERRIMI SCHOLÆ HERBORNENSIS THEOLOGI,

Habita

à

JOHANNE HENRICO FLORINO,

PROFESSORE HERBORNENSI.

RECTOR ACADEMIÆ HERBORNENSIS, JOANNES à LENT, SS. Theol. Ling. Orient. & Hist. Eccles. Professor Ordin.

Lectoribus Salutem.

EST vita humana calamitatum quoddam mare, in quo ut fluctus fluctum, ita tempestas tempestatem sequitur & urget. Apertam hujus veritatem nulla non videt ætas, nulla non experitur natio. Confirmant eam tristia & luctuosa apud nos exempla, inter qua propinquius nos tetigit recentissimum. Obiit Academia nostra delicium, Vir Incomparabilis, JOHANNES MELCHIORIS, *SS. Theologiæ Doctor & Professor, Ecclesiarum nostrarum Vigilantissimus Antistes, Serenissimorum Nassovia Principum Consiliarius Ecclesiasticus. Qua pietate, qua prudentia, qua sapientia, qua animi fortitudine, quibus*

denique dotibus inter nos & alibi vixerit & floruerit, enarrabit Orator noster, Vir Clarissimus, JOHANNES HENRICUS FLORINUS. *Vestrum itaque erit, Cives Optimi, sicuti frequentes ad exequias ivistis, ita nunc pariter animos & aures prabeatis. Innotescet sic publice cultus, quem Lugentibus debetis, tum etiam fragilitatis humana recordationem, qua vivis ad bona mentis studium valde prodesse potest, comprobabitis. Qui in fastis nostris est XXVIII. Novembris, publico actui dicatus est. Convenite hora duodecima, & bene valete. Herborna die XXIII. Novembris cIↃ. IↃc. LXXXIX.*

ORA-

ORATIO FUNEBRIS.

Magnifice Domine Rector.

Plurimum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi Domini Professores, Collegæ honoratissimi.

Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi D.D. Doctores & Licentiati.

Admodum Reverendi & Doctissimi D.D. Pastores.

Reverendi & Literatissimi D.D. Præceptores.

Tuq; numero & studiis florentissima studiosæ juventutis Corona.

Quotquot deniq; adestis, Auditores omnium ordinum honoratissimi, gratissimi.

ABnero quondam per nefarium Joabi ferrum insidiosè è medio sublato, tanta Davidis ad eminentissimum Regiæ dignitatis gradum elati animum incessit mœstitia, ut non solùm lachrymis effusè profluentibus exequias funeris ipsemet prosecutus fuerit, & ad sepulchrum clamando quiritatus: verùm etiam, indicto luctu publico, ad easdem prosequendum, populo Israëlitico Auctor extiterit & Suasor, inter alia Ministros suos, ipsum de cibo sumendo admonentes hisce affatus verbis; *An nescitis, quòd Princeps & quidem Magnus hodie cecidit in Israël?* Dum quidem nos hac luce

Virum quondam Excellentiſſimum & Celeberrimum, D. *Johannem Melchiorii*, S. S. Theologiæ Doctorem & Profeſſorem, Antiſtitem de Eccleſiis & Scholis longe meritiſſimum, quem non ità pridem *abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo*, honore eo proſequimur, qui ſupremus habetur, quid illuſtris hæc Schola noſtra agat aliud, quàm ut ſe totam in luctum induat? *Cecidit* namque in eâ *Doctor*, & quidem *Magnus: Magnus* rerum Theologicarum cognitione: *Magnus* ſapientiâ, diligentiâ & Eccleſiæ Chriſti ædificandæ fervore: *Magnus* pietate, aliisque, quæ in primis Theologum decent, animi virtutibus præſtantiſſimis. *Cecidit* & extinctum eſt Lumen, quod Herbornæum noſtrum cumprimis illuſtrabat: *Ceeidit* columen, cujus doctrinâ, judiciô & prudentiâ id non parùm fulciebatur: Quin, ut verbo abſolvam, cecidit venerandi Collegii Theologici *Membrum nobile, amabile, deſiderabile.* Quapropter quod de ſupremis honoribus reſtabat, hoc eſt, beatiſſimi Viri laudes pro more promulgare, Schola ſui duxit eſſe officii, ut illud in ſe ſuſciperet, demandatâ mihi Collegarum nomine Encomiaſtæ provinciâ. Promptus ſubeo onus, licèt haud ignorem majus eſſe quàm ut humeri mei eidem perferendo ſint pares: Cùm adſint Viri graviſſimi, omniq; ſcientiarum genere præſtantiſſimi, quorum dum ora atque vultus in me converſos intueor, magnopere, quid de me judicaturi ſint, pertimeſco. Scilicet in tanta ſolennitate nihil autumant adferri oportere, niſi quod ingenio excultum, induſtriâ limatum & arte politum ornatumque ſit, præſertim ab eo, qui aliis debet ad dicendi elegantiam faces præferre & viam præmonſtrare. At verò, Viri Optimates, tanta mihi bonitatis veſtræ eſt fiducia, ut vos ultro ſtatuere exiſtimem, non eſſe à Viro, ſcholaſticis laboribus tantùm non oppreſſo, orationem ſplendidam exſpectandam, ſed ipſius vitæ & conditioni ſufficere verba, quæ inter pauxillum otii forte fortuna obrepant, remque in apricum producendam quocunque modo, ſed plano & pro fide declarare queant. Hâc fretus benevolentiâ veſtrâ *Johannis Melchiorii*, famigeratiſſimi hujus ſeculi Theologi vitam, non phaleratis verbis & ad legem compoſitis, ſed ut quælibet pro ea laudanda in mentem mihi venerint, deſcribam, invocato priùs juſtiſſimo

viven-

viventium & mortuorum judice, ut potenter ac benignè ea me dicere velit, quæ amplificandæ divinæ gloriæ augendæque Eccleſiæ ſaluti inſerviunt.

Sicut autem affabra illa Memnonis ſtatua, muta aliàs & bruta, radiis ſolaribus tamen colluſtrata, vocalis evaſit, & ſicut olores favonio afflati ſuaviùs modulari perhibentur: ità quoque non deſpero, quin mihi, licet indiſerto & cum Moſe infantiam linguæque hæſitantiam agnoſcenti, ſi non flumen aut torrentem orationis, animum ſaltem multum, vigoremque ſolito majorem addituri ſint ſuaviſſimus ille veſter favonius & gratiſſimi illi luculentiſſimæ benevolentiæ veſtræ radii, quibus vivum Antiſtitem noſtrum, amplexi eſtis. Favete ergò Viri Optimates, & eâdem, quâ illum, me Manibus ipſius parentaturum, hoc eſt, de vitâ, eruditione & virtutibus ejus breviter & ſtrictim pro tempore ingeniique modulo dicturum benevolentiâ proſequi pergite.

Vitæ hujus uſuram *Melchioris Noſter* cepit Solingæ in Ducatu Montano, anno hujus ſeculi quadrageſimo ſexto, parentibus pietatis non minùs quàm honeſtatis famâ florentiſſimis; Patre Viro Spectatiſſimo, Domino *Johannis Melchioris*, urbis ſupradictæ Conſule & Scabino graviſſimo; Matre verò *Margarethâ Neeſiâ*, ex Conſulari ibidem familiâ oriundâ: Matronâ nomine ſuo digniſſimâ: Fuit namque inſtar margaritæ pretioſiſſimæ, non in abditâ ciſtâ reconditæ, ſed in tota illuſtranda domo poſitæ, & in corde mariti ſui condecorandi & refocillandi divinitus locatæ. Eccleſiæ Chriſti per ſacrum baptiſmatis fontem ſinè comperendinatu, ut decet, inſertum, quam primùm ætas tulit, laudati jam parentes ipſius Scholæ patriæ admoverunt, applicaturi eum ſtudiis & ſacro verbi Divini Miniſterio, ſi donis & qualitatibus ad id neceſſariis inſtructus deprehenderetur. Nec ſpes ſanctum hoc ipſorum propoſitum fuit fruſtrata. Cùm enim prima literarum didicit rudimenta, tam præclara modò in tenella adhuc ætate ſeſe in ipſo exeruit indoles, ut non ſine laude præceptorum è ludo literario domum rediret. Creſcentibus jam annis, creſcebat & ejus diligentia & diſcendi fervor, adeò ut nec ante ſe, quæ honeſta juvenum in ſtudiis eſt æmulatio, quenquam tulerit,

nec, ubi omnibus palmam præripuisset, sibi tamen quiescendum aut subsistendum censuerit.

Hac insolitâ filii sui in literarum studiis diligentiâ pii parentes excitati animum in præfixo sibi scopo magis magisque firmârunt. Ac proinde, cùm Schola patria progressibus ipsius ulterius promovendis jam impar deprehenderetur, eum Heidelbergam, ad studia, quorum jam domi laudabilia jecerat fundamenta, persequendum, ablegârunt, in sumptibus ipsius gratiâ insumendis haudquaquam difficiles. Huc jam ubi pervenit, haud segniùs in literatum studia incubuit: Ita enim cis paucos annos Grammaticis, Poëticis, Rhetoricis & Logicis artibus, inprimis autem Religionis Christianæ, cognitione sub literatissimorum istius Pædagogéi Præceptorum moderamine, animum imbuit; ad Græca item & Latina studia, præter Linguæ Hebraicæ elementa, labore assiduo summâque industriâ Isocratem, Atticæ illum facundiæ Principem, nec minùs Ciceronem, Virgilium, Ovidium explicando, carmina cùm Græca tum Latina pangendo, Epistolas, Chrias & Orationes componendo ita sese exercuit, ut nulli commilitonum esset secundus, eique primæ Classis adhuc discipulo ejusdem Magister, necessariis gravibusque à re scholastica quandoque avocatus negotiis, ne quid temporis deperiret, suam in audiendis examinandisque inferiorum Lectionibus vicem demandare haud dubitaret.

Cùm jam μαθητης Noster ad publica elatus esset studiosorum subsellia, quid videtur vobis, Auditores? Num putatis, ipsum de hoc laudabili discendi, inque artibus liberalibus proficiendi fervore quicquam remisisse? Num censetis, eum otiando aut palando tempus inaniter contrivisse? Num autumatis, illum facultates parentumque expensas bacchando, aliisve modis exorbitando abliguriisse? Est quidem, proh dolor! non paucis, qui à studiis nomen habent, solenne; ut, simul atque in concessam studiosis libertatem eximuntur, ad otium se referant, irrevocabile tempus, quod interea fugit, tempus faciendis profectibus aptissimum, lusibus, nocturnis per plateas, ardelionum ad instar, curfuris, apinis & gerris, ne dicam vitiis & sceleribus turpissimè perdentes: At ab horum

nume-

numero μανικίτης Noſter abſuit quàm qui longiſſimè, perſuaſum habens, ſe non ad *abdomini*, ſed *Domino* ſerviendum, inque veritate ejus magis magisque proficiendum ad publica à parentibus ablegatum eſſe phrontiſteria. Vacabat à limine, ut par eſt, Philoſophiæ, in latiſſima S. S. Theologiæ latifundia non priùs illaturus pedem, quàm Philoſophiæ encyclopædiam, Lectiones, Diſputationes & collegia diligenter & frequenter viſitando, viſitata ruminando, ruminata in ſuccum & ſanguinem convertendo, gnaviter abſolviſſet; diverſiſſimo ſanè ab eorum more animo, qui pede vix à pulvere Claſſico abſterſo, immani ac Gigantéo ſaltu ſacratiſſima illico Theologiæ adyta ingredi haud erubeſcunt. Docebant tum Heidelbergæ eximii & in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimi Viri, à quorum ore μανικίτης Noſter pendebat: in primis autem delectabatur informatione *Domini à Leunenſchlos*, Philoſophiæ & Matheſeos inibi Profeſſoris Celeberrimi: Sub cujus præſidio etiam progreſſu temporis Diſputationem *de Fontibus* à ſe conſcriptam adeò doctè dextreque defendit, ut quoscunque præſentes, ſive docentes, ſive diſcentes in ſui pertraheret amorem atque admirationem.

Interea tamen temporis, quô μανικίτης Noſter ità ſtudiis Philoſophicis inſudabat, Auctorum Claſſicorum, quorum jam quosdam, primæ Claſſis adhuc diſcipulus, inceperat modò nocturnâ verſare manu, verſare diuturnâ, neutiquam depoſuit memoriam: ſed ſtyli formandi curioſus cùm eſſet, eorundem lectioni, quantum citra rerum Philoſophicarum neglectum fieri poterat, quàm diligentiſſimè, privatim tamen incumbere perrexit. Ciceroni, Oratorum facilè principi, in quo totas vires ſuas eloquentia experta creditur, adjunxit Julium Cæſarem, Criſpum Salluſtium, Livium & Cornelium Nepotem, ejusdem cum Tullio ætatis aureæ Scriptores elegantiſſimos. Ex Poëtis præter Virgilium & Ovidium ſedulâ haud minùs terebat manu Horatium, gnarus, hunc eſſe poetam nulli ſecundum, utpote undeviginti carminum generibus clariſſimum, Satyrarum Scriptorem præſtantiſſimum, ſententiarum pondere graviſſimum, & non minùs Orationis figuris ornatiſſimum. Omnium tamen maximè (quod me paucis adhuc ante obitum ejus

men-

mensibus ex ipso inaudiisse memini) in libertatem exemptus altæ gravitatis Senecæ, quod nervosâ suâ brevitate, quicquid plus nimio luxuriat, depascat & acrioris judicii lima deterat, operam dedit.

Absoluto nunc cum laude, Professorumque jam laudatorum admiratione Philosophiæ curriculo, Heidelbergâ, ubi quadriennium commoratus fuerat, in Belgium se contulit, ut hactenus Philosophiæ, ita in posterum S. S. Theologiæ inhiaturus. Florebat cum præaliis Belgarum academiis Groningana, docentibus inibi Viris Excellentissimis longéque Celeberrimis, *Samuele Maresio, Jacobo Altingio & Johanne Martino*: illis S. S. Theologiæ Professoribus, ad quos audiendos, quotquot sacris literis operam navare intendebant, ex præcipuis Reformati orbis partibus convolabant: hoc verò Pastore & Practico, ut pietatis ita eruditionis famâ spectatissimo. Horum proinde famâ motus μαθητὴς Noster, etiam Groningam abiit, pleno spiritu sese sacris divinarum Literarum Pandectis addicturus. Nec opus ei erat literis commendatitiis, cùm suâ in studiis sacris sedulitate, suâ vitæ integritate, suâ denique rariori ingenii, ignis instar omnia illico penetrantis, acie laudatis jam Professoribus brevi non commendabilem modò se redderet, sed & prorsus admirabilem. Biennii quippe spatio, cùm ab ipsorum penderet ore, tantos in rerum Theologicarum cognitione fecit progressus, ut cùm publicis tum privatis doctrinæ vitæque testimoniis mactatus, repetitâ patriâ, paucos sibi reliquerit pares. Aptus ministerio, istud jam ambire potuisset, quod est gentium Apostolo ὀρέγεσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, nisi ad majorem soliditatem, copiam, usumque adipiscendum, consultius existimâsset, institutâ antè per loca celebriora peregrinatione, quæ utilissimum ingeniorum est ἄσκημα, alia quoque Lycéa adire & Magistros, quibus instructior aliquando ad suos rediret, majorique cum fructu, judicio & experientiâ sacro Ministerio tandem admoveretur. Prudenter certè, ad omnia festinandum censuit, præterquam ad Ministerium; multo secus longéque meliùs rationem iniens, quàm studiosorum vulgus, quibus nulla sæpe aut exigua contrahendorum studiosorum causa, & sic festinant tamen, sic properant, & vix nido calefacti alas sumunt,

quasi

quasi scilicet, nisi velociùs accurrerent, Ecclesiæ res, remoto ipsorum subsidio, valde essent laboraturæ. Unde fit, ut, dum nunquam dignantur discipulorum occupare subsellia, sed protinus Magisterium affectant, docturi, antequam ritè didicerint, nec discere nec docere postea unquam sint apti, eademque illis semper *& raris habitata mapalia tectis.*

Ità non μακαρίτης Noster. Quamvis, ut dixi, ad muneris Ecclesiastici functionem ab aliis aptus judicaretur, non tamen properandum censuit, perpendens, quod perpensu dignissimum, ὡς καλόν ἐστιν ὀρέγεσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, οὕτως εἶναι δύσκολον, ἐκείνην ὀρθῶς ἐπιτελεῖν. Studio interim Theologico strenuè adjunxit studium Linguarum, in primis autem Hebraïcæ & Græcæ, persuasus ex illo sapientissimi Melanchtonis effato; *Non posse Scripturam intelligi Theologicè, nisi priùs intelligatur Grammaticè*; ratusque, quod res est, infelices esse eos, quos solis versionibus contentos esse jubeat Linguarum cardinalium ignorantia, quique cum Deo per Interpretem agere, & cum pullatâ plebe in atrio è longinquo stare & sacra intueri cogantur, cæteris Linguarum peritis, veluti mysteriorum arbitris atque testibus in ipsa penetralia admissis. Nec ipse contentus fuit ex limpidis Israëlis fontibus bibisse; sed aliis etiam, quibus familiariùs utebatur, Commilitonibus suis, ut idem facerent, Auctor extitit & Suasor: Imò non Auctor tantum & Suasor; sed & non paucorum, maximè in Linguâ Sanctâ (Adeo ex ore Celeberrimi Altingii, Viri, dum viveret, ἑβραϊκωτάτου in eâ profecerat!) privatus Præceptor. Utinam & hodie S. S. Theologiæ Cultores, ne opus haberent aliquando alienis mandere molis, alienisque ingredi cothurnis, hoc est, credere rudium Interpretum versionibus, aut segnium descriptorum depravationibus, ipsius exemplo literaturæ Hebrææ studium strenuè atque solidè, non oscitanter & perfunctoriè urgerent, memores illius *Lutheri. Novi, quantopere mihi contra hostes meos profuerit Linguæ Hebrææ notitia: Certè, quamvis exigua illa sit, cum omnibus tamen totius mundi gazis eam non commutarem.*

Licèt autem beatissimè defunctum Nostrum non subiret voluntas apud exteros diu amplius agendi, maximè cùm videret, redi-

tum ſuum à dilectiſſimis ſibi parentibus non parùm urgeri, ſed unam atque alteram duntaxat celebriorum academiarum, velut εἰς περίοδον, adhuc luſtrandi: in Lugdunenſi tamen Batavorum & Duysburgenſi Clivenſium aliquam diu ſubſtitit, Linguarum & rerum præter Theologiam aliarum cognitione, in primis vero eruditorum Virorum congreſſibus notitiâque animum magis magisque excultorus, quibus aliquot menſium ſpatium impendit, diutiùs fortè moraturus, niſi eum ſuavia parentum deſideria domum revocâſſent.

Domi interim diu non latuit. Quippe paulò pòſt à venerandâ Synodo Montana, præſentibus ſingulis ejusdem Synodi membris, examinatus, tam eruditè ad quævis interrogata reſpondit, ut omnes in ſui concitârit amorem atque admirationem, idemque omnium præſentium os fuerit, digniſſimum eum eſſe, cujus, prima quaque oblata Paſtoratus occaſione, haberetur ratio. Nec rei interpoſita diutina mora. Cùm enim eruditionis, aliorumque ipſius præſtantium donorum fama in dies magis magisque in finitimas proferperet terras, paucis pòſt menſibus divina, quæ deſuper omnia dirigit, providentia ad Miniſterium verbi Dei in Eccleſia Frechenſi, Ducatus Juliacenſis, prope Coloniam vocatus fuit anno hujus ſeculi ſexageſimo ſeptimo. Et hæc prima ejus ſtatio, ad quam, licet, adhuc, ceu alter Timotheus, tenerioris eſſet ætatis, cùm elevaretur (agebat enim demum annum vigeſimum primum) tanta tamen cura, tanta vigilantia, tanta fidelitate eam obivit, ut cum multis ætate longè provectioribus certaret. Dignæ ſanè virtutes Dei miniſtro ad tantæ dignitatis ſtationem vocato! Quò enim quis in digniore munere eſt conſtitutus, eò magis anniti eum oportet, ut virtutibus munus ſuum adornet, & ſubinde illud ore tritum expendat; Σπάρτην λὼ ἔλαχες, τήνδε κόσμει, *Spartam, quam nactus es, hanc orna.* Fecit hoc Auditores, fecit hoc μακαρίτης Noſter quàm diligentiſſimè: Et hinc tantam de ſe ubique apud bonos & doctrinæ virtutisque arbitros, meruit exiſtimationem, ut non rarò etiam ex aliis parœciis auditores ad ipſum audiendum confluxerint, non ſinè donorum ejus admiratione iter remenſi.

Inter-

Interea μακάριος Noſter, piè attendens, conjugem honeſtam eſſe Viri in adminiſtranda re domeſticâ adjutorium, vitæ cœlibi, quam hactenus degerat, nuntio miſſo, conjugium elegit, quod ejus virtutibus & laboribus ſacris non obfuit, ſed profuit: quemadmodum &, dicente Nazianzeno, *in Baſilii M. Patre, Epiſcopo caſtitas, matrimonium, ſacerdotium nequaquam pugnantia fuerunt, aut ullo modo virtuti ipſius officerunt.* Proinde volente & diſponente ſic Deo, conjugii Auctore, non longè pòſt in matrimonium duxit Virginem tunc temporis lectiſſimam *Mechtildem*, Viri Nobiliſſimi & Graviſſimi, D. Pauli Reuſchii, Provinciæ Ultrajectinæ Toparchæ meritiſſimi, filiam dilectiſſimam, ex eâque ſubſequente anno filiolum ſuſcepit, qui priùs tamen, quàm utero materno excuteretur, vitam cum morte commutavit.

Noverat nempe beatè defunctus Noſter, cùm *honorabile ſit conjugium ἐν πᾶσι inter omnes* (reddentibus ità ex ipſismet Pontificiis has voculas Pagnino, Cajetano, Eſtio, Salmerone, Bellarmino & non paucis aliis) *& torus immaculatus*; Et διὰ τὰς πορνείας ſuam *habere conveniat ἕκαστος ἑαυτοῦ*, nulla prorſus exceptione, niſi doni continentiæ, obtinente; noverat, inquam, & verbi divini Miniſtris, quicquid etiam contra ructentur Meretricis Babylonicæ Gnathones & Mangones, licitum eſſe, matrimonium contrahere. Præiverant ipſi jam olim in hoc vitæ genere ſacri perque patentiſſimum univerſi orbis theatrum & doctrinæ & vitæ famâ ſpectatiſſimi Eccleſiæ veteris Myſtæ, Clemens Romanus, Irenæus, Polycrates, Polycarpus, Gregorius Gregorii Nazianzeni Pater, Gregorius Nyſſenus, Hilarius, Tertullianus, aliique priſcæ Eccleſiæ Antiſtitum numero haud pauci, quos omnes conjugatos fuiſſe, nemini, qui vel pertranſiennam antiquitatis monumenta inſpexit, non eſt obvium. Sed quid de antiquis Patribus verba facio? ipſos Chriſti Apoſtolos μακαρίτας Noſter in hoc vitæ genere habuit Antecеſſores; Si quis hoc indubium vocet, audiat Paulum, Apoſtolorum facile Principem! *Nonne*, inquit ille, *nonne poteſtatem habemus, nobiscum ἀδελφὴν γυναῖκα ſororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apoſtoli & fratres Domini & Cephas?* Nec leguntur uxores ſuas, poſt ſuam ad munus Apoſtolicum vocationem

Euchir. cap. 27. 9. tionem, dimisisse, quod eorum, qui cum Costero ructari haud erubescunt, *gravius peccare sacerdotem contrahendo matrimonium, quàm fornicando aut domi concubinam fovendo*, solenne est χρυσόγονον. Dicuntur quidem *reliquisse omnia*: verùm non *omnia* simpliciter: alioquin etiam usus ciborum ac vestimentorum & id genus alia, ad hanc vitam sustentandam necessaria, ipsis relinquenda fuissent: sed ea demum omnia, quæ vel ordinario promptoque ipsorum ministerio, vel liberæ Christi, ejusque Evangelii confessioni impedimentum inferebant. Quæ utique à piis Apostolorum uxoribus aberant quàm longissime. Quin viguit semper inter verbi divini in primitiva Ecclesia præcones matrimonii libertas, usque ad Papam Calixtum, non ab re exin acriori stylo à clero, quem vocant, notatum, secundum illud Poëtæ (veracioris, quàm elegantioris)

Vid. Acta Rom. Pontif. Balei l. 5. p. 227.

O bone Calixte, nunc omnis clerus odit te:
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti:
Hoc destruxisti, postquam tu Papa fuisti.
Ergo tuum merito nomen habent odio.

Sed ex diverticulo isto tandem in viam revertor. Elatus jam ad Ecclesiastici muneris Spartam μακαρίτης Noster, non hodiernorum Postillarorum more, qui Postillæ suæ, (liceat in re barbarâ βαρβαρίζειν) è suggestu die solis recitandæ, lectioni diem Saturni destinant, reliquos hebdomadæ dies vel otio vel mundani lucri negotiis sæpe insumentes, studiorum curam abjecit, sed continuandam duxit & semper magis ac magis prosequendam. Hinc cum annis eruditio, cum eruditione virtus, cum virtute fama ipsius in dies adaucta; adeò ut, cùm vix quinquennium apud Frechenses sacris operatus fuisset, ità omnibus gratus, ut sine lacrymis non dimitteretur, singularium ipsius donorum famâ excitata Ecclesia Reformata in Kaldekirchen, eum in Pastorem suum elegerit & vocârit. Ubi non minus luculentum donorum & spiritus sui specimen edidit, ignorantiæ tenebris immersos ad veritatis Evangelicæ lucem educendo, dubios & infirmos confirmando, consilii indigos consilio juvando, afflictos vivo solatio perfundendo, adversariis veritatis ora obstruendo, Ecclesiamque illam in multò meliorem, quàm antè fuerat, statum

trans-

transferendo. Verùm nec ibi ultra quinquennii ſpatium moratus, à variis aliis certatim deſiderabatur eccleſiis: impetrabatur autem ab Eccleſia Reformata, quæ Düſſeldorpii, Ducatus Montenſis Metropoli, Chriſtò colligitur, eximio cùm doctrinæ tum vitæ à Reverendâ Synodo Juliacenſi teſtimonio inſtructus. Hîc in ampliori theatro conſtitutus, majore adhuc cum fructu & præſtantiſſimorum in Eccleſiâ Chriſti ædificandâ donorum famâ demandatam ſibi paſtoratûs provinciam obivit, univerſæque Papiſtarum illic vitam degentium cohorti, in primis verò Lojolitis, acerrimis Babylonis myſticæ Tutanis, ſe & reverendum & formidabilem voce ac ſtylo exhibuit; idque ſucceſſu tam proſpero, ut Jeſuitarum haud poſtremus, nomine *Pater Ellerus*, ceu alter Saulus paſſim in Reformatos furorem & minas ſpirans, poſt varias invicem habitas diſputationes, per ipſum convictus, Domino Jesu ejusque Evangelio, aperta ejusdem confeſſione gloriam dederit, &, abjuratis Papiſmi erroribus, ex Saulo evaſerit Paulus.

Vix autem triſtitiæ ex filioli ſuprà memorati obitu conceptæ memoriam ex animo ejus obliteraverat oblivio, en novæ & quidem multò majoris (quemadmodum plerunque apud pios *nulla calamitas ſola*) ſeſe ei offert occaſio, dum laudatâ jam uxore per inſuperabilem fatorum vim à latere ipſius abreptâ, triſtium viduorum augere numerum cogitur. Non interim in hac ſua multiplici afflictione Deo obmurmuravit; ſed, quod pios Chriſtianos decet, animam ſuam ſemper ἐν τῇ ὑπομονῇ poſſedit, perſuaſiſſimum habens, piorum calamitates eſſe quidem πικρὰς ὀϊστοὺς *amara ſpicula*, ceu Nazianzeno loqui volupe, aſt ex χειρὸς παλάμης *ex aulici*, nempe paterna Dei *manu* evibrata in ipſorum cedere ſalutem. Unde igitur μαστίγων Noſter vulnera accepit, indidem quoque procedente tempore ſaluberrima medicamina & ſuaviſſima levamina percepit. Quippe transacto in viduitate ferè biennio, optatiſſimam, Deo ſic volente & dirigente, ad ſecunda vota tranſeundi, nactus occaſionem, matrimonium longè optatiſſimum iniit Düſſeldorpii cum Nobiliſſimâ, omnibusq; fœminei ſexûs virtutibus inſtructiſſima Matrona *Eliſabetha VValburge Mechtilde Hillesheim*, Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi ac Conſultiſſimi,

D. Johannis Wilhelmi Bachmanni, Dicasterii Electoris Brandenburgici, quod est Clivopoli, quondam Consiliarii longè famigeratissimi relictâ viduâ, cui uti diutiùs, tanquam optatissimæ sociæ vitæ, ità ex veteri formulâ beatissimè convixit, quatuor liberis, uno filiolo & tribus filiabus, omnibus adhuc superstitibus, maturoque dilectissimi parentis abitu jam mœstissimis, vi benedictionis divinæ ex eâ beatus.

Est quidem Ecclesiæ Græcæ ea consuetudo, ut, mortua priore conjuge, ministrum Ecclesiasticum ad vota secunda transire, haud permittat, aut, si quis extra sacrum ministerium constitutus nuptias secundas contraxerit, eum, tanquam δίγαμον à sacris Ecclesiæ functionibus arceat: qua in re Græci non longè abeunt à Romanensibus, haud minùs sedulò distinguentibus inter nuptias primas & secundas post obitum prioris conjugis, quasi posteriores prioribus præstantiâ atque bonitate cederent, hominemque ad munia Ecclesiastica omnino redderent inhabilem. Verùm de veritatis orbitâ deflectunt utrique. Eadem enim rationum pondera, quæ suadent nuptias primas, suadendis etiam, mortuâ conjuge, secundis vel tertiis sufficiunt; cùm semper obtineat istud Apostolicum, διὰ τὰς πορνείας ἑαυτοῖς ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. Quid? annon disertè idem Apostolus? *Uxor alligata est lege, quamdiu vivit maritus ejus: quòd si obdormierit, libera est, ad cui velit nubendum, tantùm in Domino.* Quod eâdem ratione & maritum tangit, continentiæ dono destitutum. Unde & Servator noster casum de muliere, septem maritis ex ordine nuptâ sibi propositum minimè, quasi posteriores nuptiæ fuissent illicitæ, aut minùs legitimæ, legitur improbâsse. Requiritur quidem ex Gentium Apostoli mente in Episcopo, vel etiam Diacono eligendo, ut sit μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ *unius uxoris Vir*: verùm hæc μονογαμία
1. Tim. 3. 2. non excludit δίγαμίαν vel πολυγαμίαν successivam, sed simultaneam, quâ homo vel apertè duas pluresve simul uxores domi alebat, pro more sub Veteri Testamento recepto: vel occultiùs, post repudiatam sinè justâ causâ uxorem, aliam, ipsâ adhuc vivente, superinducebat: quod cùm tempore Apostoli Judæis esset solenne & Romanis, aliisque Gentibus familiare, justissima, id in sacri Ministerii

Can-

Candidato improbandi, ipsi fuit causa. Quamvis enim sub Ecclesiæ Christianæ primordia in aliis utcunque toleraretur, cùm, ut progressu temporis factum, inveterata illa consuetudo semel atque simul aboleri non posset, in Episcopo tamen, ne altiores malum istud in Ecclesia ageret radices, nulla prorsus ratione erat tolerandũ.

Sed ne falcem nostram in alienam messem immittere velle videamur, hisce Theologorum Cathedræ relictis, ex diverticulo isto ad μακαρίτην Nostrum remeamus. Antiquum ille semper obtinuit. Quemadmodum enim in conjugio priori, sic non minùs in hoc posteriori impigrè studiorum suorum pertexuit telam, causamque Dei non solùm voce transeunte, sed & stylo, scriptisque permanentibus contra quoscunque veritatis hostes tam feliciter egit, ut Orthodoxis sui amorem certissimum, Heterodoxis autem donorum suorum stuporem injecerit sæpe maximum. Anno hujus seculi septuagesimo primo Francofurti in publicam emisit lucem Tractatum Germanicum Frechæ scriptum & inscriptum *Fundamentum Fidei Christianæ*, in asserendâ Sacræ Scripturæ auctoritate Atheis & Pontificiis oppositum. Paulò pòst edidit Trctatum Latinum, quô asseruit *Religionem ejusque naturam & principium contra Theologum Politicum Spinosæ*, tanti ab omnibus æstimatum, ut ob distracta statim exemplaria, subsequente anno, Ultrajecti sub prelum fuerit revocatus. Interjecto biennii spatio, itidem Utrajecti typis imprimendum curavit libellum Kaldekirchæ Belgicè scriptum, laudum præconiis dignissimum, cui titulus, *Delectus Religionis*, ad convictionem cujusdam apostatæ à Reformata ad Ecclesiam Pontificiam & dubitantium instructionem. Hos anno octogesimo ipsius operâ secuti duo Tractatus Germanici, in quorum priore verus & Apostolicus exhibetur ignis purgatorius ex loco Pauli 1. Cor. 3 - 16. posteriore autem miracula Marci D'Aviano, Monachi Capucini eo, quo digna sunt, depinguntur colore, Düsseldorpii elaborati, Clivopoli verô divulgati.

Hac ipsius Scriptorum cedro dignissimorum famâ inductis serenissimis Nassoviæ Principibus, Scholæ nostræ Tutanis Gloriosissimis, cùm eos, congruenter Testamento Causseniano, alium adhuc

huc Theologum vocandi ſubiret voluntas, ad ſecundam Theologicæ in hac illuſtri Schola Facultatis ſtationem & inter eos Sereniſſimo Principi & Domino noſtro HENRICO non minùs ad ſecundum Eccleſiæ hujus Paſtoratum, eum vocare clementiſſimè placuit. Quam vocationem divinitus ſibi oblatam humillimè acceptavit, atque ità, impetrato priùs à venerandâ Facultate Theologicâ in Electorali Brandenburgicâ Academiâ, quæ eſt Duysburgi Clivorum, poſt præmiſſum pro more examen & habitam *de obligatione inter Deum & hominem* diſputationem inauguralem, ſummo Doctoris Theologiæ honore, ad nos venit, eximio reverendæ Synodi Montanæ ipſum ægre dimittentis inſtructus teſtimonio: quod factum anno hujus ſeculi octogeſimo ſecundo, menſe Septembri.

Quantâ verò fide, quantâ induſtriâ, quantoque ſtudio utrique huic functioni præfuerit, nemini, niſi qui triduanus apud nos hoſpes, eſt ignotum. Conſtat, ſæpe bene *doctum* non tamen eſſe bonum *Doctorem*. Expromere, quæ ſcias, poſſe, mentem tuam explicare, & aptâ tradendi methodo, ſermone, artéque inſtruere alios, alia eſt quaſi eruditionis ipſius doctrina. Quare qui utroque pollet, magnam & Eccleſiæ & Scholæ multo cum fructu informandæ de ſe ſpem concitat. Et reſpondit certe huic omnium de ſe opinioni beatè defunctus Noſter, & quod Academia, quod Eccleſia, quod omnes ab eo exſpectârunt, fideliſſimè præſtitit, explevit, ſuperavit. Dulce erat, audire è cathedrâ legentem & diſſerentem: dulce erat non minùs, è ſuggeſtu percipere docentem & emendantem. Sunt aliis aliæ dotes, prout earum diſtributori, qui pro arbitratu ſuo ſingulis diſtribuit, eſt viſum. *Chryſoſtomum* commendat ſponte profluens Orationis elegantiſſimæ copia. *Athanaſium* ſeria ac ſedula docendi perſpicuitas. *Baſilium* præter ſubtilitatem, pia omnibusque amata ſuaviloquentia. *Ambroſium* præter dulces quosdam aculeos, Epiſcopo debita verecundia. *Cyprianum* ſpiritus martyre dignus. *Hieronymum* dives Scripturarum penus. *Hilarium* grandi materiæ par grandiloquentia. *Gregorium* animi candor, vitæque nullo fuco picturatæ integritas. In aliis alia, quibus ſe commendatione dignos præſtant, elucent dona. In *Melchiore* autem Noſtro, ſi non

ſi non omnia, certè ſingulorum deprehenduntur plurima, quaſi voluerit opulentus ille Spiritus juxta ac benignus in una tabulâ vividum quoddam exemplar Theologi repræſentare omnis generis donis inſtructum. Omne ipſe tulit punctum, omnibus officiis præfuit cum laude, cum eventu & ſucceſſu feliciſſimo. Docenda ſi fuit frequentiſſima ſtudioſæ juventutis corona, docuit feliciſſimè: auctoritas & diſciplina ſi ſtabilienda, ſtabiliit diligentiſſimè: ſi diſputandum, diſputavit ſubtiliſſime: ſi publice dicendum, ſive vernaculè è ſuggeſtu, ſive linguâ Eruditorum è cathedrâ, utrobique dixit eloquentiſsimè. Omni ætati, omni ordini, ſummis, infimis ſuam commodare operam, & vel in literis vel moribus & Chriſtianâ fide cultiores efficere non tam laborioſum ipſi erat & moleſtum, quàm facile atque jucundum. Teſtis eſt Terra Naſſovica, quæ in omnibus regionibus, Evangelii ſplendore illuſtratis, diſcipulos Melchiorianos, Viros doctiſsimos oſtentare poteſt, & *μακείτω* noſtri ingenium, doctrinam & induſtriam collaudare. Teſtes ſunt publicæ ipſius Diſputationes & Orationes de variis argumentis utilibus, numero plurimæ, omnique eruditionis genere refertiſsimæ, imprimis *Panegyricus Secularis, de Emendatione ultimi temporis hiſtoriam Scholæ noſtræ academicæ complexus*, & ab eo, cùm, Rectore Magnificentiſsimo, Sereniſsimo ac Celſiſsimo Principe & Domino, D. WILHELMO, D. G. Principe Naſſoviæ, Comite Cattimeliboci, Viandæ, Deciæ, Dynaſtâ Beilſteinii &c. (quem jam apud exteros agentem, ſtatuto tempore nobis ſoſpitem atque incolumem reſtituere divina dignetur Clementia) in moderanda re Scholaſticâ vicarios faſces ſuſciperet, ipſo ſeculari academiæ anno dictus: ut jam brevitatis gratiâ nihil addam de binis ipſius Tractatibus, paulò ante obitum erudiendæ juventuti ab ipſo deſtinatis, quorum alterum Fundamentorum Theologiæ Didaſcalicæ, alterum verò *Compendii Biblici* nomine inſignivit, omni eruditionis genere, vel ipſa Rhamnuſiâ teſte, refertiſsimis. Teſtes ſunt oræ extra Naſſoviam, quæ hujus tam inſignis ingenii monumenta cum plauſu jugiter exceperunt. Teſtes ſunt ipſi veritatis hoſtes, quibus divinus hicce præco, veritatem cœleſtem acerrimè propugnando, ità ora occluſit, ut

ne hiscere quidem hactenus adversus ipsum fuerint ausi. De te dicam tantùm (cùm ad alios jam evagari per temporis ad dicendum constituti angustias mihi non liceat) Marce D'Aviano, Monachorum Miracularie (liceat autem te *Barbarum*, quamvis satis *barbatum* in tua re *barbarâ* sic *barbarè* alloqui) quis tibi *Capucino caput* obtrivit? quis, cùm in miraculis patrandis, sed Papisticis, sed vanis & falsis totus esses, tibi fraudem detexit? quis te Sycophantam nugacissimum esse demonstravit? nonne Melchioris noster, edito adversum te & miraculorum tuorum technas & tenebras libello, veritatis luce radiantissimo? Testes denique estis vos ipsi, *Auditores Optimi*, & oculati & auriti, quàm sedulum semper & fidelem, cùm è cathedrâ tum è suggestu, se se auditorii sibi commissi præstiterit Doctorem: Dicamne de ipsius in concionando soliditate, gravitate, suavitate? vos ipsi nôstis, hæc omnia in ipso vinculo sororio ac indivulso, Charitum more, ita certatim concurrisse, ut meritò, quæ priori, quæ posteriori recenseam ordine, ancipiti distrahar animo.

Loquarne de ejus in visitandis Ecclesiæ membris diligentia? vos ipsi nôstis, eum nec in hoc muneri suo defuisse. Faciamne verba de illius in erogandis in pauperes eleëmosynis liberalitate? vos rursum ipsi nostis, eum pauperum & afflictorum causam habuisse sibi quàm commendatissimam. Ad alias virtutes ipsius pluribus verborum anfractibus recensendas ut excurram, quemadmodum mihi prohibet temporis angustia; ita etiam, maximè cùm nemo sit, quem lateat, μαγειτην nostrum, quamdiu summo vitæ necisque arbitro in hac lacrymarum valle commorandi diversorium ei dare visum, vitam Theologo Orthodoxo egisse dignissimam, nulla exigit necessitas. Unicum, quod dictis superaddo, fuit ejus in habendis Catechizationibus, quæ melioris Ecclesiæ seges & rudimentum, summa dexteritas & indefessa sedulitas. Quanti olim ab Ecclesiæ Doctoribus iteratæ sæpius inter juventutem Catechizationes fuerint factæ, nemini, qui cascæ antiquitatis monumenta vel per transennam introspexit, non est obvium: Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter tam gnavam iis, teste Hieronymo, navavit operam, ut etiam κατηχήτης *Magister* audierit. Et de Babyla, Episcopo

An-

Antiocheno quid dicam? qui, cùm animo præſagiret futuram ſub Decio Imperatore Chriſtianorum perſecutionem & lanienam, *non viros duntaxat, ſed & pueros*, quos (ut Baronius ad A. CCXLI. ſigillatim annotat) *Chriſtianæ fidei imbuebat elementis*, ad ſubeundum pro Nomine JESU martyrium aſſiduis adhortationibus inflammavit. Summis etiam inde ad ſidera laudibus præceptores ſuos effert Hieronymus, Gregorium ſcilicet Nazianzenum & Didymum, quos ſibi extitiſſe Catechiſtas memorat. Adeo Veteres ab officio Epiſcopi & Doctoris cùm in Eccleſiâ tum in Scholâ non alienum arbitrati fuerunt Catechiſmo vacare juniorum. Preſſit eorum veſtigia μαιευτης noſter quàm diligentiſſimè, partem quoque muneris arbitratus, juxta cum Collegis ſedulum agere Catechiſtam, divulgatâ in hunc finem non duntaxat pro Incipientibus Catecheticâ Manuductione *minori*; ſed etiam in gratiam Provectiorum *majori*, quam vernaculè die Kinder-Bibel/ id eſt, *Compendium Biblicum*, ſuprà modò à nobis dilaudatum, inſcribere placuit.

Horum ipſius præclariſſimorum in Eccleſiam & Scholam meritorum famâ inducti iidem Sereniſſimi Naſſoviæ Principes, Scholæ hujus academicæ Directores Celſiſſimi, ad primariam Profeſſionis Theologicæ, & inter eos inſuper Sereniſſimus Princeps & Dominus noſter HENRICUS ad primariam Paſtoratus cum annexa in cæteras Eccleſias inſpectione, Spartam, poſt obitum Venerandi Senis, *Matthiæ Netheni*, Theologi, dum viveret, pietatis non minùs quàm eruditionis famâ celebratiſſimi vacantem, ipſum elevare, inſuperque *Conſiliarii Eccleſiaſtici* honoribus mactare nulli dubitârunt. Evocârat ipſum paulò antè clementiſſimè Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps & Dominus, D. CAROLUS, Haſſiæ Landgravius (cujus Heroïcas Virtutes, & Mavortia in bonum Reipublicæ adverſus Gallorum furores facta Sacrum Imperium Romanum, ſummis ad ſidera laudibus efferre nunquam deſinet) impulſus hac eorundem ipſius inſignium donorum famâ ad Celeberrimam Marburgenſium Academiam atque Eccleſiam: Quam quidem inſignem ſtationem cum divinæ gloriæ Regnique Chriſti majore aliquo incremento poſſe conjunctam eſſe, neque ad-

eò plane aſpernandam cœperat cogitare, niſi Sereniſſimi Naſſoviæ Principes huic negotio ità interceſſiſſent apud Potentiſſimam Serenitatem ejus, ipſiusque porrò operam non Academiæ modò, ſed & Eccleſiarum ſuarum promovendis commodis, propiore quodam poſſeſſionis jure, popoſciſſent, ut religioni ducere debuerit ſe ſubducere. Quod interim quàm honorificum μακαείτῃ noſtro fuerit, nemo non videt. Nempe ſicut de Homeri, poëtarum Græcorum facilè Principis, patriâ Veteres certavêre, & maxima quæque Græcorum civitas ſuum civem ſcribere poſt fata ejus ſtuduit: ità vivum Noſtrum *Melchiorem* certamine quodam ambierunt Germaniæ & Belgii oppida & Civitates florentiſſimæ. Ut aliquamdiu *Frechæ*, (quod ſupradictum) verbi divini præconem agendo, Eccleſiæ Chriſti ædificandæ immoratus fuerat, ſuum voluit eſſe *Kaldenkirchen*: Impetravit quidem eum; ſed impetratum non longè pòſt eripuit *Düſſeldorpium*: ſed nec huic civitati licuit eſſe tam feliçi, ut ejus operâ, quâ tantopere gaudebat, diu uti poſſet. Elapſo enim vix quinquennio, ei ſubduxit eum *Herborna*: *Herbornæ* cùm vix triennium egiſſet, vocavit eum *Marburgum*, tentavit *Brema*, deſideravit *Lugdunum Batavorum*. Adeò modò donorum Melchiorianorum evolârat fama, evolatura in poſterum longiùs, niſi vitam ejus in flore ætatis abrupiſſet fatorum vis inſuperabilis.

Et ſic recenſui hactenus, *Auditores Optimi*, venerandi Melchioris noſtri in hanc vitam ingreſſum & in eâdem progreſſum; nunc eodem, quo me hactenus in audiendo proſecuti eſtis, fretus favore, etiam ea, quæ ad egreſſum ejus ex hac vita beatiſſimum attinent, breviter tamen & ſtrictim, ne patientiâ veſtrâ abuti velle videar, recenſebo. Abierat nuperrimo ordinariæ à ſtudiis vacationis tempore μακαείτης noſter, non tam proprii commodi, quàm boni publici promovendi gratiâ, maximè ad litigium quoddam, in commiſſis ſibi quondâ Eccleſiis Montanis ortum, componendum, hinc Düſſeldorpium, &, peractis peragendis, Düſſeldorpio Coloniam ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Electorem Brandenburgicum: qui cùm ipſum (poſt habitam occaſione vicinæ obſidionis Bonnenſis, in glorioſiſſimâ Potentiſſimæ Serenitatis ejus præſentiâ, non ſine auditorii applau-

plauſu, concionem) clementiſſime excepiſſet, omnia, quæ humillime petierat, pro voto gratificatus; rediit quidem, interpoſitâ aliquot hebdomadarum intercapedine ad Suos, & ſibi & aliis, quorum intererat, de feliciſſimâ expeditione gratulatus: rediit quidem, inquam, ad Suos, ſoſpes & incolumis: Verùm, ſimul atque rediiſſet, corripuit ipſum febris maligna, quæ vires ejus hactenus validiſſimas (in nullum enim morbum per univerſum vitæ ſuæ curriculum hucusque fuerat implicitus) procedente tempore magis atque magis, cooperante dyſenteriâ aliisque Symptomatibus, adeò attrivit atque proſtravit, ut adhibitis licet, ab Æſculapiis & noſtris & aliunde accerſitis, medicamentis pretioſiſſimis, redintegrari tamen haud potuerint. Quod ipſe ſentiens, nihil prius habuit, quàm animam ſuam Domino JESU, cui ſe totum conſecraverat, commendare, facilemque ex hac mortalitate ad immortalitatem exceſſum aſſiduis & ardentiſſimis ſuis ſuorumque precibus impetrare. Cùm lacrymantium multitudine ſe undique circumſeptum videret, cur in lacrymas ſolvimini, ajebat, cùm via lethi omnibus ſit calcanda, nec piis, Deumque diligentibus damno, ſed lucro ſit futura. Audiit ſupremus vitæ neciſq; Arbiter tot ſuſpiria, tot preces, tot vota, pro unius ſalute nuncupata, eumq;, poſtquam paulò ante Collegio cùm Academico tum Eccleſiaſtico triſte illud *Vale* dixerat, uxoremque dilectiſſimam unà cum liberis chariſsimis divinæ tutelæ commiſerat, placidâ & beatâ morte ex hac terreſtri tranſtulit ad academiam cœleſtem. Sic obiit eheu! Quis *Auditores?* obiit eheu! JOHANNES MELCHIORIS, Eccleſiæ & Scholæ Herbornenſis Miraculum! Doctorum Orthodoxorum Decus nobiliſſimum! Terræ Naſſovicæ Delicium ſuaviſsimum! Orbis literati Ornamentum ſpectatiſsimum, omnisque ævi ad virtutes exemplum ſplendidiſsimum! verè ut Nomine, ſic Omine חנן מלך אור *(channum melech or) Rex* (id eſt, *Doctor*) *lucis* Evangelicæ, *gratiam conſecutus.* Obiit eheu! in flore ætatis virilis, annorum quadraginta trium ſpatium demum emenſus, longiori lucis uſurâ, ſi humana ſpectes, dignisſimus! Jacet, jacet nunc ille, mortis telis proſtratus, qui mortis tela fracta & conquaſſata eſſe toties ex ore Paulino deprædicârat! Ceſſit ille

jam morbo, qui in morbos implicitis toties morborum vim levaverat! Succubuit ille jam morti, qui plurimis in mortis periculo constitutis fuerat solatio. Plange hinc, plange Academia Herbornensis! Os illud *Melchiorianum*, unde dictionis aureæ medulla profluebat, haud ulla amplius è cathedrâ tuâ fundet oracula. Plange studiosæ juventutis Corona, Auditoria vocis *Melchioriana* repercussu non amplius resonabunt. Plange Cathedra Theologica, Suada *Melchioriana*, quâ hactenus sonora extitisti, nulla amplius ex te Dei eloquia promulgabit. Plange non minùs Ecclesia Herbornensis; non amplius audies illam *Melchiorianam* facundiam, quæ te ignorantem informavit, te vacillantem corroboravit, te languentem conformavit, te errantem emendavit, te mœrentem allevavit, te labantem sustentavit, te ægrotantem medicavit. Sed quid dico *Auditores*? Non *obiit*, sed *abiit* PATER & CURRUS ISRAELIS: non *amissus*, sed nobis *præmissus*, qui in vineam nostram sapientissimâ Dei providentiâ ad nos fuerat *transmissus*: neque, ut in acie diutius consisteret, is voluit, qui eodem nutu missionem ipsi, nobis luctum fecit. *Abiit*, inquam, ex laborum mole ad quietem dulcissimam, ex molestiarum & curarum farragine ad tranquillitatem suavissimam, ex miseriis & ærumnis ad felicitatem optatissimam, ex morbi doloribus ad sanitatem jucundissimam, ex brevi ætate ad æternitatem constantissimam! *Abiit* ex hujus vitæ continuâ militiâ ad pacem continuam, ex merâ peregrinatione ad sedem certissimam, ex densissimâ caligine ad lucem clarissimam! *Abiit* ex Collegio & Senatu Doctorum, erroribus adhuc & nævis obnoxiorum, ad beatissimum & augustissimum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, aliorumque in cœlis triumphantium chorum! *Abiit* ex academiâ terrestri, ubi γινώσκειν ἐκ μέρους, ad cœlestem, ubi summa & consummatissima scientiarum obtinet πλειότης. *Abiit* denique (ut verba Augustini, augustissimi illius Ecclesiæ quondam Hipponensis Præsulis, mea faciam) in eum locum, ubi *gaudium infinitum, lætitia sine tristitiâ, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo: ubi juventus nunquam senescit: ubi vita terminum nescit: ubi decor nunquam pallescit: ubi amor nunquam*

quam tepeſcit: ubi ſanitas nunquam marceſcit: ubi gaudium nunquam decreſcit: ubi dolor nunquam ſentitur: ubi gemitus nunquam auditur: ubi nihil triſte videtur: ubi latitia ſemper habetur: quia ſummum bonum ibi poſſidetur. O Te beatisſimum Melchioris! quàm fideliter talenta, quæ Tibi benignisſimus ille πατὴρ τῶν φώτων copiosè concrediderat, adhibuisti! quàm fidus ſervus Domini JESU extitisti! in quanta Domini tui gaudia introiviſti! Nos adhuc in hac mundi pilâ procul vagamur à ſupernis triumphantium ſedibus: at Tu, nunc corporis mole ſoluus, beatisſimo cœlitum choro cohabitas, cœleſtibus in omnium ſeculorum æternitatem deliciis perfundendus. Nos adhuc inter naufragia & ſcopulos ſævis jactamur procellis, nunc timore penduli, nunc ſpe tumentes: at Tu in optatisſimo felicitatis portu quieſcis, omnis metus, omniumque periculorum immunis. Nos adhuc manet mors: at Te recreant vitæ nunquam deſituræ gaudia: vita noſtra quot miſeriis? quot calamitatibus? quot rerum adverſarum procellis non obnoxia? at tua *eſt certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla felicitas, felix æternitas.* Salve nunc recepta cœlo mens, fruere nunc ſorte tua & æternùm vale.

Faxit interim vitæ necisque humanæ arbiter ſummus, ut, quod jam ſupremum officium fecimus, verè ſit ſupremum, nec per longos annorum ordines hæc pulpita lugubrem vocem & feralem orationem reſonent! Solatio ſaluberrimo perfundat mœſtisſimam viduam, liberos &, quotquot beatisſimè defuncti Noſtri obitus lugere fecit, vel ſanguine cognatos vel affinitate conjunctos! Nos etiam, quotquot in hoc mortalitatis ergaſtulo adhuc degimus procul à ſuperno felicitatis portu, patrioque cœlo, reddat fragilitatis noſtræ & mortis certô certiùs futuræ, hoc exemplo bene memores, atque eâ, quâ decet, concordia & pace firmiter unitos, timentes ſui, & ſalutis atque officii in omnibus ſtudioſos! Floreat in primis Academia noſtra, ſit ea ſincerioris ſapientiæ Habitaculum perpetuum! Eccleſiæ Orthodoxæ Seminarium fœcun-

cundisſimum ! veritatis Evangelicæ Propugnaculum invictisſimum ! rectarum animarum Prytanæum certisſimum ! Doctorum Reformatorum Sacrarium ſanctisſimum ! gratiæ divinæ Domicilium firmisſimum ! totius denique Orbis literati Compendium ſplendidisſimum ! Eandem idem ille potentisſimus Servator ac Stator humanarum & omnium rerum præſtet incolumitatem Serenisſimis Naſſoviæ Principibus, Scholæ noſtræ Directoribus Glorioſisſimis ! protegat eos, foveat, cuſtodiat, atquè ſaluberrimâ ipſorum curâ & operâ in locum ablati Eliæ noſtri Eliſæum ſubſtituat !

DIXI.

CLA-